

Freibrief der Stadt Lübeck  
vom Jahre 1226

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus secundus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem et Sicilie Rex. Quociens Imperialis excellentia maiestatis in subditos et fideles suos manus sue liberalitatis extendit et eos tamquam bene meritos condigne retributionis muneribus recompensat, tociens eos in constantia fidei pure corroborat et tam ipsorum quam aliorum fidelium ad eius obsequia forcius obligat uoluntates. Quapropter notum fieri uolumus vniuersis Imperii fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod nos habentes pre oculis fidem puram et deuotionem sinceram, quam vniuersi burgenses Lubicenses, fideles nostri, erga nostram habere celsitudinem laudabiliter dignoscuntur, diligentius etiam aduertentes preclara satis et accepta seruicia, que nobis et Imperio fideliter semper exhibere curarunt et que inantea poterunt de bono in melius exhibere, volentes ipsos tamquam bene meritos liberali munificentia preuenire, concedimus firmiter statuentes, vt predicta Ciuitas lubicensis libera semper sit, uidelicet specialis Ciuitas et locus Imperii et ad dominium Imperiale specialiter pertinens, nullo umquam tempore ab ipso speciali dominio separanda: statuentes etiam, ut quandocumque ad regimen Ciuitatis eiusdem aliquis Rector ab Imperio statuatur, nulla ad hoc officium statuatur persona, nisi fuerit de conuicinis locis et conterminis Ciuitatis ipsius, ita quod